

107.

tu
2
01

POSITIONES

EX

PHILOSOPHIA UNIVERSA

Q V A S

S V B

GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS

REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

STEPHANI FANGH

Ecclesiae Cathedralis Albo-Carolinensis, Prout Suae Excellentiae Comitis EPISCOPI Transylvaniae a Latere Canonici Eiusdemque Ecclesiae Cathedralis, ac Districtuam Albenfis, Cybinienfis, et Hunyadiensis Archidiaconi, Domini, ac Patroni sui Gratosissimi

PUBLICE PROPUGNAVIT

Reverendus Nobilis, ac Perdoctus Dominus Andreas Gergely Seminarii, S. Ignatii Dioec. Tran. Alumnus.

Mense Septembri

Anno M. DCC. LXXXII.

TYPIS IOSEPHI FRANCISCI KOLLMAN

Nr. _____



Inv. 3

Inter iucundissimas omnis vitae meae
dies haec non ultima fuerit perpetua me-
moriam recolenda, quod ego TUO Benefi-
cio atque auxilio REVERENDISSIME
DOMINE CANONICE, et ARCHI-
DIACONE meorum studiorum periculum
facere possum hac gratissima praesentia
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRIS-
SIMI, ac REVERENDISSIMI DO-
MINI COMITIS, et PRAESULIS

NOSTRI, GRATIOSISSIMI Cui ego
cum aliis infinitis poene nominibus obstri-
ctus sum, tum eo imprimis, quod hanc
fortunarum mearum conditionem **EL** post
DEUM debeam, et quod **ILLE** Nobis
universis in amandis bonis artibus exem-
plum sit luculentum. *Etsi ego his meis*
progressibus nonnihil subverear, ne TU-
AE expectationi in promerendo **PRAE-**
SULIS EXCELLENTISSIMI Beni-
gno annutu, et adprobatione non satis fa-
ciam,

ciam, singularis tamen TUA bene de omnibus merendi voluntas, qua facilem, promptumque Te ad hoc periculum adiuvandum praebuisti, singulare pariter conatibus meis indulget praesidium, et animum erigit arenam hanc Philosophicam alacrius ingrediendi. Atque hinc ego iam metior famam illam Publicam, qua TE ita comparatum esse accepimus, ut iam olim Agriae in Hungaria Comitatu multa, pari condita gravitate,

et humanitate omnes TIBI demerueris.
Accessit summa, quae TIBI imponeban-
tur, rerum gerendarum promptitudo,
et dexteritas, ob quam, aliaque insignia
animi TUI decora, quae ego lubens
recenserem, nisi me cognitae modestiae
TUAE iniurium futurum metuerem, ob
haec inquam sapienti sane Consilio EX-
CELLENTISSIMUS, ILLUSTRIS-
SIMUS, ac REVERENDISSIMUS
DOMINUS COMES PRAESUL in

*Canonicum a Latere, mox V. CAPI-
TULI SUI Membrum, et CATHE-
DRALEM ARCHI - DIACONUM
adlegerit, magno certe praesantis animi
testimonio, ut QUI IPSE ita o-
natura factus sit, ut nullum Benevo-
lentiae pignus, ac indicium ommitten-
do plurima apud gratos animos bene-
ficia libenter collocet. Quare cum TU-
AE erga me humanitatis, et beneficen-
tiae memoria unicum apud me monumen-*

tum esse possit, nihil num praestare ali-
ud possum, quam ut Numen TE RE-
VERENDISSIME DOMINE CANO-
NICE, et ARCHI-DIACONE! for-
tunis amplioribus quae TE at huc expe-
ctant, superstitem, et sospitem esse ve-
lit, exorem.

REVERENDISSIMAE DOMI-
NATIONIS VESTRAE.

Humillimus et Devotissimus
Cliens Andreas Gergely.



EX
LOGICA,
ET
METAPHYSICA.



I.

omnis humanae cognitionis prima veluti semina sunt ideae, ex quarum scilicet diversa combinatione et multiplex illaveritatum, scientiarumque seges enascitur. Quare Logica praestare nobis debet, ut et illae sint quam maxime sinceræ, ac genuinae, combinatio ista quam accuratissime instituatur. II. Metaphisica res ab omni concretionem materiae segregatas pro obiecto habet, siue illae tales sint natura sua, siue cogitatione mentis tan-

A

tum

tum nostrae: Primi generis sunt elementa corporum, animae humanae, brutorumque, ac demum opifex ipse rerum omnium DEUS; ad genus autem posterius veritates maxime universales pertinent. *III.* Inter huiusmodi veritates Principium illud, quod contradictionis appellatur primum locum tenet. Istud proxime consequitur alterum, rationis sufficientis dictum. Sed istud quidem sobrie est intelligendum, ne quali cunque ipsius acceptio-
 ne Libertati DEI, ac hominum iniurii sinus. *IV.* Preter externam rerum possibilitatem, quae in efficacitate DEI conditoris consistit admittenda est etiam alia interna, quae proxime in rerum ipsarum ad existendum habilitate continetur, licet et haec in DEUM pos-
 sita suo modo sit refundenda. *V.* Mundus hic ab aliquo temporis Principatu de nihilo conditus est, contra ac Veteres plurimi senserunt, et moderni Pseudo-Philosophi vellent. Est is in suo genere perfectissimus, licet perfectione entitatis suae omnes possibiles mundos minime superet. *VI.* Et dispositio entium creatorum, quam passivam dicimus, latius patet eorundem efficacitate, et vires illorum finitae sunt, ac limitatae, et leges denique iuxta quas vires illae operantur, sunt contingentes, possunt igitur patrari veri nominis miracula. *VII.* Quae hominibus in est anima, ea est substantia simplex, spiritualis, tam a coactione externa, quam a necessitate interna libera, ac demum immortalis cuius

commercii cum corpore ratio probabiliter per influxum Physicum explicatur. *VIII.* Quum Brutorum animae facultate tam cognoscendi, quam appetendi, inferiore gaudeant, sunt illae immateriales, at vero quia superioribus in utroque genere facultatibus destituuntur, spirituales dici minime possunt, nisi quis aliter vocabulum spiritus accipiat. *IX.* Existere in rerum Natura DEUM triplici argumentorum veluti acie, videlicet Metaphysicorum, Physicorum, et moralium, contra profanam Atheorum Nationem defendimus. Est ille omnino unicus, qui nutu voluntatis suae omnia in gloriam suam condidit, eaque sapientissime moderatur, atque gubernat. *X.* Religio quam ratio sibi relicta assequitur, ad eum colendum non sufficit, necessaria igitur est revelatio, quae si genuina est, notis quibusdam se prodat, quas notas frustra in veterum Polytheismo, aut Mahumetanismo quaesieris: reperiabantur illae olim in Iudaismo, et nunc in Christianismo abundae reperiuntur.

E X

PHILOSOPHIA MORALI.

I.

Quum omnis Philosophia, ut iam olim à Cicerone fuit adnotatum, ad bene vivendum referatur: tum illa pars praecipue in eo tota est, quae a formandis moribus ap-

tissimo vocabulo moralis dicitur. *II.* Finis hominis, actionumque illius est idem ille, qui caeterarum rerum omnium, DEUS: proinde hic solus beatitudo hominis obiectiva haberi debet, caetera omnia, nisi quatenus nos eo ducunt, nugae. *III.* Ab eo fine ut homo non excidat, necesse fuit dari quandam regulam, iuxta quam ille actiones suas liberas conformet, ac moderetur: Ea est Lex Naturalis immutabilis, necessaria, aeterna. *IV.* Principium Legum Naturalium cognoscendi, si pro effacto, seu propositione quadam summatur, illud S. Thomae retineri potest: fac bonum, et recede a malo, quatenus nempe utrumque sola ratione perspicitur potest. *V.* Studium, et prompta voluntas, actiones suas morales legi convenienter instituenti, virtus adpellatur, in ea sola beatitudo hominis, quatenus ea in hac vita, obtineri potest, reponenda est. *VI.* Conscientia est iudicium de actionum suarum honestate, aut turpitudine. Plurimum inter est ad veram felicitatem, ut illud certum, ac verum sit, quando quidem sive quis secundum conscientiam erroneam, sive contra fecerit, peccet, et in dubio operari non liceat. *VII.* DEO tanquam summo bono, beatitudini nostrae, causae omnis boni efficienti, et Domino supremo debemus cultum tam internum, quam externum. Comparanda est igitur ipsius, eiusque perfectionum, quam fieri potest maxime distincta notio. *VIII.* Sed et aliis, secun-

dis quidem praecipuis tamen Publici boni
caussis efficien tibus, Principibus nempe, et
Imperatoribus, eorumque Magistratibus, ac
ministris officia sunt ab omnibus Civibus exhi-
benda. IX. Homo secundum statum suum in-
ternum, uti corpore constat, et animo,
ita sua cuique officia debet: neque ea etiam,
quae ad externum statum pertinent negligere.
Officiis corpori debitis, nihil tam adversatur,
quam autochiria. X. Alios nostri nunquam
laedere, perficere autem etiam, quam pos-
sumus, debemus: quoniam ergo in omni
mendacio est aliqua laesio, intelligitur illud
semper iure naturae esse illicitum.

E X

MATHESI PURA.

E X

GEOMETRIA.

I.

In circulis concentricis arcus duobus radiis
intercepti ad suas peripherias sectores ad su-
os circulos eandem rationem habent. II. An-
gulorum aequalium mensurae sunt arcus simi-
les, et si arcus sunt similes anguli erunt ae-
quales. III. Anguli deinceps positi sunt ae-
quales duobus rectis. IV. Ex duorum late-
rum cum angulo intercepto vel duorum angu-
lorum cum latere adiuncto vel denique trium


laterum aequalitate in duobus triangulis recte
 concluditur triangula esse aequalia. *V.* In
 triangulo aequicruro anguli ad basim sunt ae-
 quales. *VI.* Si trianguli latus aliquod aequa-
 biliter producat, angulus externus erit ae-
 qualis duobus internis oppositis, unde ma-
 ior quolibet interno opposito. *VII.* Si duas
 parallelas secet transversim linea efficiet angu-
 los alternos aequales, angulum externum ae-
 qualem interno opposito, duos internos ae-
 quales 180° . *VIII.* Si in triangulo alicui la-
 teri parallela ducatur segmenta crurum cum
 inter se tum integris cruribus erunt propor-
 tionalia. *IX.* In eodem, vel in aequalibus cir-
 culis cordae aequales arcus subtendunt ae-
 quales. *X.* Recta radio perpendiculariter in-
 sistens tangit circulum in unico puncto, et
 contra. *XI.* Angulus ad centrum est duplus
 anguli ad peripheriam eidem arcui insistentis.
XII. Si ex eodem puncto una tangens, al-
 tera secans ducatur, tangens erit media pro-
 portionalis inter totam secantem, et partem
 eius extra circulum sitam. *XIII.* Si paral-
 lelogramum Diagonalis secet, efficiet trian-
 gula aequalia. *XIV.* Latus hexagoni aequat-
 ur radio circuli circum scripti. *XV.* Paral-
 lelograma eiusdem basis, et altitudinis sunt —
 aequalia. *XVI.* Figurae similes sunt in ra-
 tione duplicata quorumvis laterum homologo-
 rum. *XVII.* Quadratum Hypothenusae ae-
 quatur quadratis cathetorum. *XVIII.* Su-
 perficies sphaerae aequatur facto e periphria

circuli maximi in diametrum: eadem est quadrupla circuli maximi. *XIX.* Soliditas sphaerae aequatur tertiae parti facti ex superficie in radium. *XX.* Sphaera est ad Cylindrum ejusdem basis, et altitudinis ut 2: 3. *XXI.* Omnia corpora sunt in ratione triplicata laterum homologorum. *XXII.* Sphaerae sunt ut cubi diametrorum.

E X
TRIGONOMETRIA
 P L A N A.

I.

In omni triangulo latera se habent ut sinus angulorum oppositorum. *II.* Summa duorum laterum est ad differentiam eorundem, ut tangens semisummae angulorum iisdem lateribus oppositorum ad tangentem semi-differentiae eorundem. *III.* Si in triangulo quovis in latus maximum ex angulo opposito ducatur perpendicularis, erit idem latus maximum ad summam reliquorum, ut differentia reliquorum ad differentiam segmentorum baseos. *IV.* Tangens 45° aequatur radio.



Ex Algebra ad Constructionem Problematum Geometricorum applicata.

PROBLEMATATA.

- I.
Aequationem simplicem construere E. C. Si

$$X = ab = \frac{abc}{dc} = \left(\frac{a^2 - b^2}{c} \right) = \left(\frac{a^2 + b^2}{c} \right) = \left(\frac{a^2 - b^2}{c} \right) c$$
- II. Aequationem quadraticam construere E. C. Si

$$X^2 + a x^2 = + b^2.$$
- III. Data trianguli rectanguli perimetro, et area invenire hypotenusam.
- IV. Datam rectam media, et extrema ratione secare.
- V. Datam rectam ita secare ut partes eiusdem duabus datis sint reciproce proportionales.
- VI. Dato radio circuli invenire latus trigoni, octogoni, regularis, vel ex his datis invenire radium.
- VII. Dato radio circuli, et latere Decagoni invenire latus pentagoni.
- VIII. Data Diagonali pentagoni invenire ipsum latus.
- IX. Datis in triangulo differentia crurum, et Hypotenusam invenire crura.
- X. Triangulum quod uni datorum simile alteri aequale sit construere.
- XI. Invenire circumulum superficiei cylindri aequalem vel cylindrum dato circulo aequalem
- XII. Data Diametro sphaerae, et altitudine cylindri ipsi aequalis invenire diametrum cylindri.


ALGEBRA AD SECTIONES
CONICAS APPLICATA.

T H E O R E M A T A.

I.

Si sectio conici fiat per planum lateri parallelum Parabola. II. Si per planum obliquum, Ellipsis. III. Si denique per planum ad diametrum perpendiculare, hyperbola generabitur. IV. In parabola distantia foci a vertice est quarta pars parametri. V. Quadrata semiordinatarum se habent ut abscissae. VI. Rectangulum ex summa duarum ordinatarum in differentiam earundem aequatur rectangulo ex differentia abscissarum in parametrum. VII. Subtangens est dupla abscissae, sub normalis vero subdupla parametri. VIII. In Ellipsi axis minor est medius Geometricè proportionalis inter axem maiorem, et parametrum. IX. Quadrata ordinatarum sunt uti facta abscissarum. X. Quadratum semi axis minoris est ad quadratum semi axis maioris sicut quadratum semiordinatae ad factum ex abscissis. XI. Duarum rectarum ex focis ad idem curvae punctum summa, est aequalis axi maiori. XII. Semi axis maior est media proportionalis inter abscissam a centro, et compositam ex semiaxe maiore, et parte subtangentis extra verticem. XIII. In hyperbola quadrata ordinatarum sunt, ut facta ex latere transver-

so in factum abscissarum. XIV. Quadratum axis minoris est ad quadratum axis maioris ut perimenter ad axem transversum. XV. Si ex hyperbolarum oppositarum eiusdem axis transversi focis ducantur ad idem peripheriae punctum rectae, earum differentia aequatur axi transverso. XVI. Si quaecunque semiordinata producatnr donec asymptoto occurrat erit huius, et semiordinatae quadratorum differentia, aequalis quadrato semiaxis coniugati. XVII. Rectangulum ex abscissa asymptoti in eius ordinatam aequale est potentiae hyperbolae.



E X

P H Y S I C A.

I.

In Philosophia naturali Neutoniam philo-
sophandi Methodum sequi oportet. II. Exi-
stentiam corporum quae aliquando suspecta fu-
it nemo hodie in dubium vocat. III. Eorum
elementa primaria sunt substantiae simplices,
inextensae. IV. Chemicorum Mercurius, Sal,
Sulphur, phlegma caput mortuum an sint se-
cundaria, non potest determinari. V. Sub-
stantiae simplices multis heterogeneae viden-
tur, homogeneas propugnamus. VI. Exi-
stere in corporibus vires repultrices phaeno-
mena probant. VII. Hae in distantiis mini-
mis se se exerunt, sequunturque rationem in-
versam

versam distantiarum, attamen quam determi-
 nate non potest dici. VIII. Si distantiae au-
 geantur succedunt repulsivis attractivae. IX.
 In distantis maximis attractivae sequuntur ra-
 tionem reciprocam duplicatam distantiarum
 quam proxime. X. Impenetrabilitas est corol-
 larium virium repulsivarum. XI. Ex impene-
 trabilitate consequitur extensio, quae tantum
 Physice continua est. XII. Cohæsiō a viri-
 bus repulsivis, et attractivis habet suum ex-
 plicatum, quae limites cohaesionis stipant.
 XIV. Motus quem in corporibus libere laben-
 tibus observamus, causa gravitas est, quae
 ab attractione agente in ratione reciproca dup-
 licata distantiarum non debet distingvi. XV.
 Diversa est gravitas sub diversis gradibus lati-
 tudinis. XVI. Eius variationis causa a figu-
 ra telluris bene repetitur. XVII. Substantia
 solis magna ex parte ignea est: ex parte etiam
 solida: unde maculae eius bene repetuntur.
 XVIII. Eiusdem cum sole naturae sunt stel-
 lae fixae, de quarum numero, magnitudine,
 motu nihil Physicus determinare potest. XIX.
 Planetæ omnes sunt corpora opaca, de in-
 colis eorum nihil potest determinari. XX.
 Cometae sunt e genere Planetarum: Caudas
 eorum constituunt vapores e nucleo cometae
 in averfam a sole partem assurgentes. XXI.
 De situ corporum coelestium apud omnes Phi-
 losophos una est sententia: de motu Telluris
 si cum sole contendatur, lis est: hinc enata
 Tychonis, et Copernici Systemata: istud

quia naturae conformius, defendimus. XXII. Aqua perquam subtilibus constat particulis: XXIII. Maiores ad sectare sphaericam figuram notum est. XXIV. At in minimis ea nullo sat firmo argumento probari potest. XXV. Particulae aquae in distantis minimis validissime se se repellunt. XXVI. Habent particulae aquae etiam nisum sese ad certum situm, sub certis angulis disponendi. XXVII. Ab hoc nisi nobis glaciei conformatio reiectis quibusvis heterogeneis partibus repetitur. XXVIII. Aër gravitatem absolutam quin habeat, nullus hodie Philosophus dubitat. XXIX. Gravitationis specificae varia profertur ratio, ut eam nempe status aëris, locus in quo determinabatur, dedit. XXX. Exerit in subiecta sibi corpora aër pressionem. XXXI. Ab hac elevatio mercurii in Tubis Torricellianis, aquarum in fontibus pneumaticis, trans fluxus liquorum in syphonibus repetendus est. XXXII. Flumen aëris de loco in locum delatum ventum dicimus. XXXIII. Quod aequilibritatem atmosphaerae perturbat, illud omne causa ventorum est. XXXIV. Sonum vibratorius, et tremulus motus corporis sonori, aëri communicatus, atque ad aures delatus, absolvit. XXXV. Vulgo dictus ignis, est materia quaelibet deflagrans, cuius partes motu perniciosissimo agitatae in fumum, flammam abeunt: XXXVI. Causa vehementem eum motum ciens proprie ignis est, a materia lucis non distincta. XXXVII. Electricitas se-


cundum Theoriam Franklini, illustratam a Beccaria e scholis Piis optime explicatur per torrentem electricum. XXXVIII. Subtilissimae partes, quae de corporibus lucentibus iugiter emanant, lucem efficiunt. XXXIX. Homogeneam Cartesiani volunt lucem: heterogeneam diversa refrangibilitas, atque huic iunctus color probant. XL. Colores corporum a reflexis radiis in tenuibus lamellis ortum ducunt. XLI. Machinam quam incolimus Physicorum dimensiones ad polos compressam ostendunt. XLII. Maria, quae magna parte terram occupant, lucem phosphorescentibus animalculis, et fluido electrico debent. XLIII. Fontanae aquae, si perennes sint, aquis marinis terrae hiatibus infusis debent originem. XLIV. Auroras Boreales a reflexione radiorum solis, aut Lunae in particulis glaciatis provenire arbitramur. XLV. Fulgur, fulmen, tonitru ex vapore electrico tum demum oriuntur, cum posito conflictu nubium positive et negative electrifatarum ex illis in has sit vaporis transfluxus.



SELECTA
EX HISTORIA UNIVERSALI.
PROBLEMATATA.

Vetustorum Hunnorum historiam, eorum-
que

que primum in Pannoniam exitum, et mores compendio dare? II. Parthi fuerintne vere Hunni? qui populi? III. Turci veri sintne cum Hungaris iidem? IV. Dignus ne sit Attila, ut tam tetrīs coloribus ab exteris scriptoribus describatur. V. Quid Iconoclastae in Religionem, Philosophiam, ipsasque litteras peccaverint? VI. Quae Regnantes inde ab origine in Francia Familias? quaeque praecipuae historiae in iis memorantur? VII. Mores Institutaque Longobardorum, ut re-tenta aliis Nationibus. VIII. Iudicia Dei, compurgationes, sive Ordalia ut fuerint frequentata apud diversas gentes? IX. An Cruciatæ Expeditiones merito vituperantur? aut fuerintne aliqua earum utilitas? X. Bullae Aursae Caroli. IV. Imperatoris quae historia, quibusve, capitibus constet? XI. Quibus iuribus Ferdinandus Hungariam, quibusve Ioannes Zápolya ad se pertinere contenderint? XII. Unde sint arcessendae causae avulsionis Angliæ ab Ecclesia Romana? XIII. Quid demum præbuerit occasionem Foederis septem Provinciarum Belgicarum? XIV. Quantas vicissitudines tricennale bellum habuerit? XV. Quo ex capite, aut eventu peractum est Bellum successionis.



E X
 MATHESI APPLICATA.
 D E
 LONGIMETRIA.
 THEOREMATA.

I.

Anguli nimis acuti in operatione Geometrica accipiendi non sunt. II. Recta defixis in utroque eius extremo hastilibus in campo rite designatur.

P R O B L E M A T A.

I.

Hastile ad perpendicularem situm collocare. II. In campo, vel sylva rectam designare producere, mensurare. III. Lineam, vel angulum in plures partes aequales dividere. IV. In puncto in linea, extra lineam, vel eius extremitate dato perpendicularem excitare. V. Metiri distantiam duorum locorum ex quorum uno ad aliud recta adiri non potest, vel quorum unum accedi potest, vel denique duorum locorum prorsus inaccessibilium. VI. Duorum locorum quae simul ex assumpta basi conspici non possunt interespiciam dicere. VII. Clar: Leutmanni tabulas explicare, usumque harum demonstrare.


D E
ALTIMETRIA,
 ET LIBELLATIONE.

TEOREMA.

Umbra proiecta aequalis obiecto dum sol moratur in gradu 45° , II. In Libellatione duorum vel plurium terminorum, Libella in medio est collocanda.

PROBLEMATA.

Invenire altitudinem obiecti accessibilis ope unius perticae, vel ope duarum; vel ope umbrae perticae, vel ope reflexi e speculo obiecti. II. Templi altitudinem dimetiri. III. Obiecti inaccessibilis altitudinem invenire. IV. Libellam examinare, eamque ad libellandum debite collocare. V. Differentiam duarum altitudinum simplici libellatione invenire. VI. Hoc idem libellatione composita praestare. VII. Annem a termino libellare.



D E

PLANIMETRIA.

TEOREMA.

I.

Ia polygonis summae angulorum sunt aequales, si latera polygonorum sunt aequalia licet sint proportionalia.

PROBLEMATA.

I.

Figuras omnes regulares in campo describere, harum aream supputare. II. Terrenum quodlibet ope praetorianae vel astrolabii, vel perimetri dimensione, vel diagonalibus describere, hasque iam constructas transummere. III. Fundos retenta capacitate in alias figuras mutare, dividere. IV. Cognito agro mensuram sementis capiente alium determinare quot ille sit mensurarum.

D E STEREOMETRIA.

TEOREMA.

1.

Corpora regularia nec sunt, nec plura
statui possunt, quam quinque.

PROBLEMATATA.

1.

Superficiem cubi, conij, cylindri, pa-
rallelepiedi, ac sphaerae invenire. II. Hanc
in pyramide non solum triangulari, sed
qualibet alia, ac in prismatico dicere. III.
Quinque corporum regularium superficiem de-
tegere. IV. Cubi, prismatis, parallelepipe-
di, cylindri, et quorum vis aliorum cor-
porum soliditatem invenire.



D E GEOMETRIA SUBTERRANEA.

TEOREMA.

1.


Pendulum de Filo in libella gravitans,
angulum baseos rite determinat.

PRO-

 PROBLEMATATA. ;

I.

Datis in specu angulis, ac Hypothenu-
 sa basim, et cathetum modis usu receptis
 invenire. II. Tabularum Veidleri usum ex-
 plicare; quid mensorem de magnete nosse
 oporteat dicere. III. Fodinas in quibus neu-
 tra turbetur pixis mensurare. IV. Fodinas
 ferri metiri. V. Puncta subdialia subterra-
 neis respondentia determinare. VI. Recta-
 rum brevissimam, qua in fodinam penetre-
 tur; detegere. VII. Fodinam oblique per-
 tundere, ex illa aquam derivare. VIII. Si-
 tum verae metallicae inquirere, Principalem
 in hac mundi plagam determinare.


 D E
 MECHANICA.

TEOREMA.

I.

Centrum gravitatis corporis si sustentetur,
 aut quavis alia ratione impediatur, quomi-
 nus accedat ad centrum telluris, pressio-
 nem quidem exercet, nullum tamen produ-
 cit motum.

PRO.

 PROBLEMATATA.

I.

Sex machinarum simplicium proprietates, et usum enarrare. II. Dotes rotæ versatilis dicere. III. Stateram Romanam examinare. IV. De rotarum manubriis, de machinis ad pondera attollenda idoneis, de illis, quæ ictu, et percussione feriunt sermonem instituire. V. De molis omnibus: uti confuloriis, ferrariis, ac venti differere. VI. Vires motrices velut ignem, aërem, aquam, ventum, pondera, vires hominum ac iumentorum, cum animadversionibus referre, et quales quolibet loco adhibeantur enarrare.



E X

ARCHITECTURA CIVILI.

TEOREMA.

I.

Partes omnes ædificii ita sunt ponendæ ut linea directionis extra basim non cadat.

PRO-

PROBLEMATATA.

I.

Modos probandi proprietates materiae architectonicae enarrare. II. Fundamenta in loco Saxoso, palustri, Sabuloso accomode ponere. III. Arcus compressi describendi tres modos dicere. IV. De loco situi aedificii apto deligendo diserere. V. Ad luminis sufficientem affluxum requisitam inclinationem pro fenestra dicere. VI. Tectum deliciatum, displuviatum, Hollandicum, Teutonicum novum, et vetus, item Gallicum formare speciatim, de Gallico, quid commodi praestet, dicere. VII. De quinque ordinibus sermonem instituire, pro his modulum construere ac cum mensura Civili conciliare. VIII. Ordines Architectonicos Vigniolano modo datae altitudini inscribere. IX. Membra Architectonica, volutam, cellulam etc describere. X. Columnis statnam aut cellulis accomodè illocare. XI. Ordinem unum super alterum ad leges datas firuere. XII. De colorum temperamento, instrumentisque delineationi deservientibus sermonem instituire. XIII. Proto - - et Ichnographiam aedificii perficere; ex hac externam, et internam simul Orthographiam delineare. XIV. Oculi punctum in Schenographica delineatione determinare. XV. Ad leges perspectivae - - - - - are. corpora, ac aed - - - - - superficies planas, - - - - - ipsas describere. XVI.

Scapum columnae contraheve. XVII, Totum aedificium (antequam ponatur) calculare.

O. A. M. D. G.

